



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

**Parisiis, 1644**

Epistola VI. Martini Papae I. Ad Theodorvm Episcopvm Esbvntiorvm.  
Ostendit eum sua confessione haereticorum furorem repressisse, & ad  
obediendum Ioanni Philadelphiae episcopo, quem constituerat ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15300**

*lectione, in fide, in sanctitate. Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per sacerdotalem dignitatem, & functionem nostræ apostolicæ vicis: ut profectus tuus omnibus manifestus ac testatus sit, & ante omnes ipsi Deo, apud quem susceptorum pro virtute & pietate laborum reposita est dignis laus & corona iustitiæ, quam reddet tibi iustus iudex, qui perfecte serues eius orthodoxam fidem, & mandatum prompto animo impleas, in gloriosa eius ac tremenda apparitione. Ecce vero in auxilium, ut magno studio, ac sine vlllo impedimento, caritas tua ministerium impleat, a nostra apostolica auctoritate tibi commissum: hortati sumus Deo amabiles episcopos, ipsum dico Theodorum Esbuntiorum, & Antonium Bacatorum, adesse in omnibus, ac pro viribus inferuire huiusmodi spirituali voluntati tuæ: quibuscum & Georgium, dilectum presbyterum & archimandritam, & Petrum Christi amantem, Adraensem nempe, ac omnino eos, qui in illis partibus fidem Dei verumque zelum habent: quorum merces plurima erit apud Deum, cum vobis promptitudinem animi studii-que sui præstiterint in omni obedientia & gratiæ perfectione.*

EPISTOLA VI.  
MARTINI PAPÆ I.

AD THEODORVM EPISCOPVM  
ESBUNTIORVM.

Ostendit eum sua confessione hæreticorum furorem repressisse, & ad obediendum Ioanni Philadelphiæ episcopo, quem constituerat vicarium, hortatur.

*Theodoro episcopo Esbuntiorum Martinus seruus seruorum Dei,  
sanctæ eius catholicæ & apostolicæ Romanorum  
ecclesiæ episcopus.*

**E**ST confusio adducens peccatum, & est confusio adducens Eccles. 4.  
*gloriam & gratiam.* Tu igitur, religiosissime frater, confusionem vituperabilem culpans, scripta tua secundum Deum satisfactione, gloriam tibi & gratiam acquisiisti. gloriam quidem, orthodoxam de ipso Domino ac Deo nostro confessionem: gratiam, vero splendorem tuo-

rum in virtute illustrium studiorum: quibus non solum nobis innotuisti in pietate perfectus, sed & ipsi vniuersorum Saluatori Christo cum multa libertate placitus: vt in vobis apostolicum illud de sanctis dictum impleatur:

*Hebr. 11. Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.* Vicisti enim, religiosissime frater, aduersarii diaboli malum regnum, iustitiam in fidei confirmatione operatus es: cuius gratia adeptus repromissiones Spiritus, hæreticorum ora tamquam leonum obturasti, ac extinxisti eorum impetum hæreseos, quasi flammam ignis aspiratione gratiæ: qua ita confortatus, imbecillitatem sententiæ illorum deuicisti. fortis in bello contra eos suscepto fuisti, eorumque infirma adulterinorum dogmatum castra sufficienter vertisti, ac victor per proprium scriptum productus es ad victoriæ auctorem, Saluatorem omnium Christum: qui idcirco sacerdotalem in te dignitatem apostolica confirmauit auctoritate. Verum ne cesses laudationes eius in gutturo perpetuo habere, eique placitum sacrificium offerre, rationabile obsequium tuum. Sic enim & supernæ gloriæ præsentia dignaberis, & cælestibus Christi muneribus imbueris. Quæ autem synodaliter a nobis hic gesta sunt, ad confirmationem defensionemque ecclesiæ catholicæ, id est paternarum eius ac synodaliū definitionum, nuper misimus ei, qui a nobis vicarius canonicè designatus est, dilecto fratri nostro & episcopo Philadelphensium ciuitatis: cui bene facitis assentientes, & omnes orthodoxos vna vobiscum excitantes ad eorum articulorum implementum, qui ei pie commissi sunt, ad commendationem ecclesiæ catholicæ. Nam pro eo multa vobis in sempiterno regno merces erit.

EPI-